Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 529
Quelle:
Copyright:

ceptusque ſummus Imperator pacis oſculo a diuo Pontifice, habita breui oraciuncula per Reuerendiſſimum dominum Eneam ſenenſem Epiſcopum, aureo annulo a Summo Pontifice decoratus eſt, qui et annulum Imperatricis digito ſolemniter impoſuit, priſcum ac ſacrum fidei noſtre ornamentum. Inde abeuntes alter ſolitam, reſeruatam altera ſibi ſedem adiuerunt. Conditum erat tabulatum quoddam ſublime juxta capelle maioris introitum a ſiniſtris, ex quo Regine ſedes alcius uniuerſe plebis concionem eminuit, que longe innumerabilis, quam referam, ſpectandi ardore conuenerat. Celebracionis autem ſolemnis Epiſtolam cum recitaſſet Imperator, et ſummi pontificis preſenciam adueniſſet, genibus flexis in terram proſtratus eſt, habitoque libro, qui pontificalis codicis nuncupatur, ſupra Imperatoris verticem oraciones aliaque diuina officia ſummus Pontifex ex more celebrauit, benedictioneque ſuper eum effuſa, eundem corona rotunda, quam argenteam regni Lumbardie dici referebant, propriis manibus decorauit. Eleuatus Imperator leui pacis oſculo delibato conſtitutam ſedem repetiuit. Cumque is, qui ſolemnem miſſam celebrabat, ſacrificium, quod noſtre uerum diuinumque fidei ſacramentum predicamus, accepiſſet, iuſſi Ex matrimonii lege ad ſummi pontificis plantam Imperator ac Regina profecti ſunt. Pergebat etiam a ſiniſtris Ungarie Bohemieque rex, omnibusque ſtetit humanitate preſtancior, qui maieſtati ſue contiguus fuerat ſocius inſtitutus. Super quo lectis oracionibus diuinisque aliis in hujusmodi ſacramentis celebrari conſtitutis ſedes itidem ſuas utrique pecierunt. Celebracione autem conſummata denuo ſummi Pontificis locum diuertere. Infuſaque demum ſuper eos ceterosque benedictione, proprias omnes edes acceſſere. Habes Imperatoriam maieſtatem matrimonium primo contraxiſſe, de hinc prime corone coronacionem inuaſiſſe. Decimo autem tercio Kalendas Aprilis, hora ferme XVI. Cum coronacionis lux adueniſſet, ingreſſus Ceſar templi anteriorem porticum, quo ingreſſu in oſtii limite iuramentum, quod maioribus noſtris huiusce Imperatorie dignitatis loco gaudentibus inferri conſueuit, ſummi pontificis autoritate ſuſcepit. Conſtitutusque pone quoddam altare, quod a ſiniſtris in ingreſſu porticus exiſtit, Canonicorum diui Petri conſorcio eſt adiunctus, ſummo Pontifice templum ingrediente. Cum in templum profectus a Portuenſi Epiſcopo, qui tunc hoſtienſis locum abſentis obtinebat, oleo ſacro inunctus eſt in capella, que ſancti Mauricij cognomine nuncupatur. Indeque penes ſummum Pontificem aſſiſtens ad maius altare celebrantem, veſtimentum in modum Diaconi indutus, ipſius benedictione potitus eſt. Demumque thalamum, quod confectum erat ex more vetuſto, tabularum introivit. Poſt hec autem cum regina in Petri baſilicam in-